QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS EXCVTIENDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS X. DECEMBRIS D. ANTONIO DE CAPPE DOCTORE MEDICO REGIO, MODERATORE.

An solis alexiteriis venenati morbi oppugnantur?

TRIPLICIS substantiæ corporis humani solidæ, humidæ, & spirituosæ, perenne effluuium triplici alimento cibo, potu, & aëre, reparari debet hæc si semel à naturali constitutione deturbetur varias morborum species procreat. aëri ambienti (cuius commercium nemo effugere potest) putredini obnoxio, vis efficacior immutandis corporibus quam alimentis inest: qui quamcunque mutationem subierit, siue ab inferioribus, siue à superioribus (quæ luce motu & occulto influxu in nos agunt) inspiratione attractus eam cordi communicat.

CIBI ac potus ope (quæ vitæ valetudinísque præsidia sunt) vtriusque substantiæ iactura probè resarcitur: dum alimenta, substantia, copia, qualitate, vtendi modo, & occasione non peccant: accedente etiam bona corporis temperie: sin secus cacochymiam & obstructionem pariunt, febrium fere omnium causam (si pestilentes excipias, quæ nunquam absque aëris corruptione accidunt) ex obstructione, temperie sensim dissoluta, natiuóque calore ab extraneo euicto, putredo oritur: si summa, morbos venenatos alexiteriis maximè oppugnandos progignit: cuiusmodi affectibus raro atrabilarij, vt neque idea melancholici, sæpius sanguinei corripiuntur.

VENENATI morbi similaris affectus primaria perpetuáque sedes affecta cor est: quod quidem licet à natura egregiam nactum sit constitutionem, noxam tamen lethalis epoti veneni seu intus corruptione geniti effugere vix potest. calida venena qualitate deleteria, frigida sola quantitate, omnia toto genere præter naturam sunt: hæc citius corpus calidum quam frigidum interimunt, illa vero corrodendo ac putrefaciendo non aliter quam summè vitiati humores substantiam nostram corrumpunt: deteriora existunt quæ ex semine quam quæ ex menstruo retento: ex materia alimẽtali excrementitiâ: quo potentiora, eo peiora: vt occulta qualitate, manifesta agentibus: calida frigidis, vaporosa contenta substantia, aqueis, aquea, terrestri constantibus.

AT vero venena qualitatis corporeæ ministerio, vario symptomatum cruciatu vitæ principium confertim demoliendo, fatigare solent: qualitate occulta agentia, proprietaté cordis labefactant: vnde palpitationes, decidẽtia pulsus, syncope accidũt: manifesta eius temperamentum: quæ si calida, æger feruoré in capite sentit, siti inextinguibili afficitur, & corpus tactui calidum apparet: peiora si insignis adsit ventriculi dolor: pessima cum corpus graui & iniucũdo odore afficitur: frigida è somno profundo cognoscuntur. Intus autem geniti signa sunt si nonnulli nullo præcedente morbo repente non secus quam ab epoto veneno pereant.

PRÆSIDIORVM materiam, Chirurgia, Pharmacia, & dieta complent: venæ sectio in calidis venenis, non autem frigidis locum habet. cauteria ante & post venenum probantur. vomitorium hydrelæum in quocumque veneno plurimum confert, inmixtis semper alexiteriis quibus roborata natura materiam veneficam citius expellere possit. purgantibus non debet inmisceri theriaca, quæ cum pipere & sinapi calidior existat, in febre pestilenti & venenis calidis noxia creditur. quod ad diætam attinet: aër in primis suauibus odoribus alterandus: victus quoque paulo vberior concedendus.

Non ergo solis alexiteriis venenati morbi oppugnantur?



Proponebat Stephanus Gorion Parisinus, 1599.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

Mag. Germanus Clerselier.
Mag Robertus le Secq.
Mag. Ricardus Merces.
Mag. Hieronymus Tacquet.
Mag. Georgius Cornuti.
Mag. Ioannes le Moyne.
Mag. Guillelmus Lusson Med. Reg.
Mag. Ægidius Heron.
Mag. Ioannes Beauchesne.